



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XV. Vtrùm Doctor, Magister, Consultor, & Confessarius teneantur docere, & respondere secundùm suam opinionem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

Tertiò, quia si conjux opinetur, matrimonium esse nullum, adhuc tenetur reddere, ne alterum spoliaret possessione. Quarto, quia quando non datur certitudo, & evidentia, quod res præcepta sit prava, Prælati possidet jus præcipiendi; ergo non potest subditus eum tali jure spoliare, non parendo. Hæc sunt fundamenta istius sententiæ, quibus tamen jam fecimus satis supra à n. 255. sicut & aliis, quæ adduci hinc poterant, non tamen adducimus, ne eadem repetamus.

SECTIO XV.

Utrum Doctor, Magister, Consultor, & Confessarius teneantur docere, & respondere secundum suam opinionem?

Dico 1. Doctores, seu Rectores alicujus Cathedræ, non tenentur docere, quæ sibi probabiliora videntur. Ita *P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica sect. 6. n. 69. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 26. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. n. 7.* & alii. Probatur primò, quia grave jugum Magistris imponeretur, si haberent obligationem legendi, quæ sibi videntur probabiliora. Secundò, quia hæc sæpius solent esse minus recepta, & probata, & scandalum generarent. Tertiò, quia cum ex vi hujus obligationis tenerentur satis investigare rationes pro utraque parte, sæpè opinio, quæ heri probabilior apparuit, hodie minus probabilis appareret, cogenterque quotidie mutaret in scriptis sententiam; ergo sufficit, si quæ sibi probabiliora videntur, doceant.

Dico 2. Doctor, aut Magister, qui improbabiles opiniones doceret, aut ex malitia, aut ex ignorantia culpabili in rebus pertinentibus ad fidem, aut ad mores, peccaret mortaliter. Ita *P. Sanch. P. Sal. P. Pal. cit.* Probatur, quia occasione errandi in rebus ita necessariis præbent, in quibus & ipsi errant, & discipulos in re gravi decipiunt; ergo &c.

Dico 3. Doctor, aut Magister docens communiter opiniones improbabiles in rebus parvi momenti, v. g. Logicæ, aut Grammaticæ, peccat mortaliter. Ita *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. n. 26. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. n. 8.* Probatur primò, quia si id habeant ex officio, tenentur docere vera, sicque non satisfaciunt officio Doctoris, & Magistris; si non habeant, tenentur non docere falsa decipiendo; ergo &c. Secundò, quia gravem injuriam auditoribus inferunt, quatenus in eorum intellectibus errores seminant, sicque tenentur restituere, id est, deceptionem illam tollere, ut docet *Petr. Navar. lib. 2. de restit. cap. 2. dub. 1. n. 82.* nisi eos excuset parvitas materiæ, ut ait *P. Sanch. cit.*

Dices: *D. Aug. in cap. In quibus 22. q. 2. dicit: In quibus rebus nihil interest ad capeffendum Dei regnum, utrum credantur, an non; & utrum vera sive sint, sive putentur, aut falsa, in his errare, id est, aliud pro alio putare, non arbitrarium est, esse peccatum, aut si est, minimum esse, atque levissimum;* ergo &c. Respondeo *D. Aug. cap. cit.* solum velle, hujusmodi res sequi, nullam esse, aut solum venialem culpam, cum prout sic in nullis præjudicium sit: non autem illas communiter docere, qui ex officio tenentur veritatem firmare, & errores depellere.

Quæres hinc: Utrum si quis non in praxi, sed in solo assensu temerè circa res morales amplecteretur

opinionem improbabiles, peccaret mortaliter? Negat per se loquendo *P. Sal. 1. 2. tra. 8. d. unica sect. 5. num. 44.* Sed melius affirmandum judico cum *P. Pal. d. 2. de Conscient. pun. 3. n. 10.* Probatur primò ex cap. *In quibus cit. 22. q. 2.* nam *D. Aug.* ibi dicit, nullum, vel levissimum peccatum esse sequi opinionem falsam in rebus, in quibus nihil interest ad capeffendum Dei regnum; ergo tacitè insinuat in rebus, quæ ad capeffendum regnum Dei ordinantur, quales sunt quæ spectant ad mores, esse peccatum grave.

Probatur secundò, quia ex malitia, aut ignorantia culpabili malè sentire de rebus ad fidem, aut ad mores pertinentibus, grave peccatum est; sed malè de illis sentiret, qui in solo etiam assensu circa illas amplecteretur opiniones improbabiles; ergo &c. Confirmatur, quia quis sic adhæret hujusmodi opinionibus non potest non se exponere periculo amplectendi illas in praxi; sed qui se exponit periculo peccandi graviter, graviter peccat; ergo &c.

Dico 4. Vir doctus potest, & sæpè convenit, consulere opinionem aliorum minus probabilem, relicta propriâ probabiliori. Ita *P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 9. num. 47. P. Sal. ibid. tract. 8. d. unica sect. 6. n. 69. & sect. 9. n. 84. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. n. 19. Medin. lib. 2. sum. cap. 3. sine. Lopez. 1. p. instruct. cap. 120. Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad finem,* quatenus expressè loquitur id negans, quando consulens credit aliam opinionem esse falsam *P. Pal. d. 2. de Conscient. pun. 3. n. 1. Joan. Sanch. d. 41. num. 7. Sayr. in clavi, lib. 1. cap. 6. n. 11. P. Becan. tr. 1. cap. 4. q. 9. n. 16. Lorca d. 41. §. Afferro primò,* & alii.

Probatur prima pars, quia Vir doctus, Magister, imò & Confessarius possunt licitè sequi aliorum opinionem probabilem, sive minus probabilem, relicta propriâ probabiliori, ut supra diximus; ergo etiam poterunt sic licitè eam aliis consulere. Probatur secunda pars, quia hujusmodi Doctores quandoque prudenter faciunt, dum minus probabilem opinionem consulunt, quando probabilior fore poenitenti, aut consilium poenitenti judicant; sic enim eorum infirmitati prospiciunt, & periculum peccandi in eis cavent; ergo sæpè convenit ita consulere.

Objicies 1. Interrogans non inquit de aliorum, sed de tua opinione; ergo ut ad ejus mentem respondeas, non quid alii, sed quid tu sentias, debes manifestare. Respondeo primò negando antecedens; interrogans enim solum inquit, quid ipse possit licitè efficere, sive ex tua, sive ex aliorum opinione, sicque secundum illam, quam prudenter judicaveris convenire, poteris respondere. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; licet enim interroget de tua opinione, non semper teneris illam manifestare, quia aliquando ex illius manifestatione inconvenientia oriuntur.

Objicies 2. cum *P. Valent. 2. 2. d. 5. q. 7. pun. 4. vers. Respondeo dupliciter, & dub. 3. post dictum 3.* Hæc doctrina non habet locum, saltem in materia justitiæ; siquidem Judex, ut infra dicemus, debet ferre sententiam in foro externo juxta opinionem probabilioram; sed Doctor consultus utitur officio judicis in foro interno; ergo in eodem foro sic debet consulere secundum probabilioram opinionem. Respondeo datâ majori quoad ejus probationem, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia Judex in foro externo est inter partes, ut eis jus dicat sine acceptione personarum, ad id enim constituitur in Republica, sicque debet sententiam ferre secundum id, quod probabilior, & æquius judicat; at verò Doctor consultus est Judex

in

in foro conscientiae, quod iudicium est medicinale, nec inter partes, sed inter Deum, & homines, unde satis erit Doctore consulto, si ita iudicet, ut Deus non offendatur, non autem offenditur, dum in consulendo sequitur opinionem probabilem.

289. Objicies 3. Si Doctor in consulendo posset sequi opinionem aliorum minus probabilem, posset etiam petentem consilium remittere ad alium Doctorem, quem scit habere ut probabilem opinionem illam, quam ipse remittens existimat evidenter improbabilem; siquidem per accidens est, quod opinio iudicetur ab illo evidenter falsa, dummodo qui juxta illam praebet consilium, existimet illam probabilem; sequela autem non est admittenda, ut non admittit *P. Vasq. P. Sal. & P. Pal. infra citandi*; ergo &c. Respondeo negando sequelam, prout ex infra dicendis constabit.

290. Hinc notabis cum *P. Vasq. cit. num. 4. P. Sal. cit. sect. 9. num. 85. & Ioan. Sanch. d. 43. num. 42. apud P. Pal. precedentem doctrinam*, ut ipsi dicunt, limitandam esse, quando Doctor consulendo secundum alienam opinionem tollit aliquam obligationem, non autem, quando illam imponit, in primo enim casu dicunt, licitum esse consulere secundum aliorum opinionem probabilem, relicta propria probabiliore; non ita verò in secundo, sed teneri secundum propriam opinionem respondere, & consulere.

291. Patet exemplis. Consultit Petrus Doctorem circa dubium, quod habet: utrum scilicet teneatur restituere pauperibus rem inventam, cujus dominus post factam diligentiam non apparet, qui Doctor tenet opinionem affirmantem, dari tunc obligationem restituendi, ut tenent *Salon. 2. 2. quest. 62. art. 5. controversi. 5. P. Valent. tomo 3. d. 5. quest. 6. pun. 4. Navarr. de restit. lib. 4. cap. 2. dub. 7. num. 59. Sayr. in clavi, lib. 10. tract. 5. cap. 2. P. Rebel. part. 1. lib. 2. quest. 12. sect. 1. P. Reginal. tomo 1. lib. 10. cap. 14. num. 194. P. Azor. part. 3. lib. 4. cap. 27. P. Mol. tomo 3. d. 746. & alii*. Aliorum autem opinio est, in eo casu nullam dari obligationem restituendi, ut non dari asserunt *Aragon. 2. 2. q. 62. art. 5. Sor. lib. 5. de just. q. 3. art. 3. Petr. Navar. lib. 4. cap. 2. num. 75. P. Less. lib. 2. cap. 14. dub. 7. num. 48. sine Diana part. 2. tract. 17. resol. 5. & alii*. Tunc in praedicto casu dicunt *P. Vasq. P. Sal. & Ioan. Sanch. cit.* posse Doctorem, relicta propria opinione, licet eam probabiliorem iudicet, consulere juxta aliorum opinionem minus probabilem, quia secundum illam liberat petentem consilium ab obligatione restituendi: non ita tamen, si ille haberet opinionem contrariam deobligantem; alii verò obligantem ad restituendum; siquidem tunc ei imponeret talem obligationem.

292. Similiter Petrus dubius de homicidio voluntario consultit Doctorem: An in tali casu incurrit irregularitatem? In quo casu Doctor tenet opinionem asserentem, hominem in dubio facti non esse irregularem, quam non dicunt improbabilem *P. Soar. d. 40. de Censur. sect. 6. num. 70. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. 1. sect. 6. num. 70. Alfons. de Leon tract. de potest. Confess. tom. 1. recollect. 17. num. 57. P. Rebel. part. 2. lib. 1. quest. 3. sect. 2. num. 13. apud Dian. part. 4. tr. 2. resol. 52. Aliorum tamen sententia communis affirmat, hominem in dubio facti homicidii esse irregularem, ut affirmant *Malder. 1. 2. q. 19. art. 5. d. 84. dub. 8. P. Soar. cit. P. Henricq. lib. 14. cap. 13. num. 4. P. Avil. p. 7. d. 2. dub. 5. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. num. 48. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 3. P. Egid. de Sacram. d. 18. dub. 2. num. 22. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. 1. sect. 18. num. 168. quos citat, & sequi-**

tur *Dian. part. 4. tract. 2. resol. 52. Tunc in praedicto casu asserunt P. Vasq. & alii supra*, non posse Doctorem consulere secundum aliorum opinionem; siquidem tunc non liberaret, imò imponeret Petro irregularitatem.

Verumtamen *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 21. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. num. 3.* hanc limitationem non admittunt, sed concludunt, quod Doctor in omnibus his casibus potest consulere secundum aliorum opinionem, siue hæc ei imponat, siue eum liberet ab aliqua obligatione: tum quia si juxta aliorum opinionem, quam probabilem iudicat, potest petentem consilium ab obligatione excusare, cur non poterit condemnare? tum etiam, quia illa verè tunc est ejus opinio, utpote cui tanquam probabili adhæret, ut potest.

Addunt tamen *P. Sanch. P. Pal. cit. & P. Sal. cit. sect. 9. num. 85. & sect. 10. num. 95.* hoc esse intelligendum, nisi ipse consulens, cui Doctor imposuit obligationem v. g. restituendi, expressè inquirat: An possit aliqua ratione excusari ab illa obligatione; tunc enim Doctor tenetur, aut abstinere à consilio dando, aut aliorum opinionem excusantem à tali obligatione declarare. Unde quando Doctor non interrogatur de sua propria opinione, potest illam, aut alienam consulere, etiamsi obligationem aliquam imponat, ita tamen ut Petrus, qui consilium petit, intelligat, id sibi consultum ex opinione tantum probabili; siquidem tunc Doctor nullam Petro facit injuriam, cum tacite ei dicat, contrarium etiam esse probabile, & posse illud tunc sequi.

Si tamen Petrus interrogans, utrum aliqua via possit liberari? intelligat, praedictam obligationem illi consuli, ut indubitatum, qualiter solent rudes, & ignoranties intelligere, tenetur Doctor illum ab ignorantia removere, & veritatem ei manifestare; alioqui ei injuriam facit. Unde cum censentur hoc modo, saltem virtute interrogare, qui consilium petunt, semper Doctores in his interrogationibus, licet possint consulere opinionem imponentem obligationem, debent manifestare opinionem oppositam probabilem, ac si de hoc expressè interrogarentur; siquidem nullus praesumi debet, sibi velle imponere obligationem, cum ab illa excusari potest. Ita *P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. num. 4. quamvis P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 21. cum P. Sal. 1. 2. tract. 3. d. unica, sect. 10. num. 95.* ita limitent, ut teneatur quis manifestare opinionem excusantem, non quando absolute, sed quando expressè interrogatur.

Sed quid si Doctor interrogetur expressè de sua opinione, & quod det consilium secundum illam? Tunc, aut non debet respondere; aut si respondeat, debet quaestionem decidere juxta propriam opinionem. Ita *P. Sanchez*, & alii apud *P. Bard. discept. 4. cap. 20. num. 5.* Probat, quia si tunc Doctor respondeat secundum alienam opinionem mentitur, & interrogantem decipit; ergo tenetur tunc respondere secundum propriam opinionem, nisi ex hoc sequatur aliquod inconveniens, ut si ex manifestatione opinionis illius Petrus fumeret occasionem peccandi; in hoc enim aut similibus casibus poterit, aut se excusare à consilio dando, aut æquivocatione aliqua uti, Ita *P. Sanchez cit. num. 21.* Adhuc tamen:

Quæres primò: Utrum Doctor, qui sentit opinionem deobligantem esse improbabilem, possit remittere interrogantem ad alium Doctorem, quem scit ut probabilem defendere? Affirmat *P. Sanchez lib. 1. Decal. cap. 9. num. 23.* dummodo Doctor ille, non ignorantia ductus, sed rationibus, quæ sibi, &

& aliis probabiles videntur, sententiam suam defendat; siquidem consilium petens potest opinionem probabilem licite sequi; sed opinio istius Doctoris, ad quem remittitur, revera est probabilis, licet respectu Doctoris illum remittentis sit improbabilis; ergo potest illum licite sequi, & ad talem Doctorem illum consulentem remitti.

398. Hoc tamen ita absolute dictum non placet; nam aut illam sententiam, quam Doctor ille defendit, judicas evidenter falsam; aut non: Si primum; ergo etiam debes judicare, defendentem illam ignorantiam laborare, sicque defendi non posse; ergo non poteris esse occasio, ut aliquis illam amplectatur: Si secundum; ergo imprudenter procedis, si eam probabilem non reputes; licet enim tibi intrinsece non probetur, debet tamen extrinsece probari; ergo sicut potes interrogantem ad illum Doctorem favorabilem remittere, ita poteris & tu secundum illius opinionem interroganti respondere; ac proinde solum non poteris remittere interrogantem ad alium Doctorem, cujus opinionem judicaveris evidenter falsam; quando autem ita non judicaveris, poteris aut illum remittere, aut secundum illius opinionem respondere. Ita *P. Vasq. d. 62. cap. 9. num. 28. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 9. num. 94. & cum illis P. Pal. cit. n. 5.*

399. Quæres 2. Utrum, cui grata non est resolutio unius Doctoris, possit licite, & sine peccato alium, & alium Doctorem adire, quousque inveniat aliquem, qui ad placitum sibi respondeat? Affirmative, dummodo recta intentione procedat, an scilicet ea opinio sibi favens sit probabilis, animo tamen firmo nihil faciendi, nisi solum id, quod sibi licere invenit. Ita *Zumel. 1. 2. quest. 76. art. 2. d. 4. sine. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 24. P. Pal. d. 2. de Conscient. punct. 3. num. 6. contra Adrian. 4. Mater. de restit. q. de prescript. dub. ultim. vers. His præmissis. Navar. cap. 17. sum. num. 83. & sum. Hispan. cap. 28. addit. ult. ad cap. 27.*

400. Probatur, quia unicuique jus est, jus suum protegendum, & ad id rationes querendi; sed in hujusmodi investigatione utitur jure suo, & sibi à naturâ concessio servandi se indemnem, idque licite, cum solum investiget scientiam de sua obligatione, an scilicet sit aliquis Doctor, qui eum legitime excuset ab obligatione, quam alicui imponunt; ergo &c. Addit tamen *P. Pal. cit. timendum esse periculum errandi, ne forte putans invenire lucem, inveniat tenebras, & cœcum loco Doctoris, qui eum secum in foveam dejiciat juxta illud Christi Domini Matt. 15. 14. Cæcus autem si cæco ducatur præstet, ambo in foveam cadunt.*

SECTIO XVI.

Vtrum licitum sit mutare opinionem semel electam circa eandem rem?

401. **N**ON excitamus hinc questionem: An Doctor, & Magister possint modo juxta unam, modo juxta aliam opinionem, practicè tamen probabilem, circa eandem rem, consulere? Hoc enim asserunt cum communi *P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 9. num. 47. & P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 20.* Siquidem utramque & sibi, & aliis consulendam opinionem tanquam probabilem amplecti possunt, licet alteram probabiliorerem judicent; ergo modo unam, modo alteram poterunt licite consulere. Addit tamen *P. Sanchez cit. melius esse, si semper juxta eandem, &c.*

Tom. 2.

maximè in scriptis, consulant; ne varii deprehendantur; quam tamen varietatis notam facile vitare poterant, si dum aut verbo, aut scripto consulunt, dicant, licet contraria opinio probabilior sit, hæc tamen potest ut probabilis tuto sequi.

302. Quæstio igitur hæc est: Utrum homo possit opinionem semel electam delectere, & oppositam, quam deseruerat, de novo eligere? Est opinio probabilis, quod hoc tributum v. g. sit injustum: & est opinio probabilis, quod sit justum; Poterit nè Petrus eligere primam opinionem, & sic non solvere tributum: postea autem eligere secundam, & solvere? Aut si secundam elegit, & solvit, poteritne, mutando postea opinionem, eligere primam, & recompensationem facere, vel tributum à Rege, vel ab aliis repetere?

303. In primis certum est, quando circa eandem rem dantur duæ opiniones probabiles, posse hominem semel eligere, quam maluerit, & in illâ persistere. Hinc fit, quod si dentur plura horologia, in quibus communiter non datur error, cujuslibet testimonium censeatur probabile, sicque licitum sit quodlibet ex illis eligere pro mensura temporis, etiam circa eundem diem, & horam; siquidem quodlibet ex illis horologiis adinstar Doctoris facit opinionem probabilem.

304. Patet primò, nam si quis Feria quinta audivit ab uno horologio mediam noctem, quæ in alio nondum sonuerat, potest continuare cœnam carnis eligens secundum horologium, & sequenti die communicare, etiam statim post mediam noctem, nisi aliud prohibeatur, dummodo cœnam interrumpat ad primum pulsus secundi horologii, in quo hora finita est. Ita tenent *P. Sanchez lib. 2. de Matr. d. 41. num. 40. P. Fagun. in 4. præcept. lib. 1. cap. 10. num. 3. Joan. Sanchez d. 42. num. 18. Villalob. tom. 1. sum. tract. 1. diff. 21. num. 7. & cum illis Dian. p. 3. tract. 4. resol. 36.*

305. Secundò, quia Clericus, qui ex oblivione distulit recitationem officii usque ad tempus, quo in primo horologio insonuit media nox, potest eligere hoc primum horologium, & licite omittere officium præteriti diei, probabiliter opinando transisse jam mediam noctem, & cum illâ ipsam recitandi obligationem; siquidem non tenetur se conformare cum secundo horologio; neque enim datur major ratio, cur fides sit præstanda secundo, non autem primo horologio: nam sic etiam qui in sabbato audivit mediam noctem in primo horologio, statim manet liber ab abstinentia carnis. Ita *P. Sanchez lib. 2. de Matr. d. 41. num. 40.*

306. Solum igitur excitari potest præcedens quæstio, duabus concurrentibus conditionibus: Prima quando lex præcipiens est certa: Secunda, quando res jam non est integra tempore, quo fit mutatio opinionis, quod tunc contingit, quando homo tempore, quo facit mutationem opinionis, jam est in eo statu, in quo non potest legem illam certam adimplere. Deinde potest etiam quæstio excitari, aut utraq; aut unâ saltem deficiente ex prædictis conditionibus. His positis.

307. Dico 1. Si simul concurrant duæ prædictæ conditiones, non est licitum mutare opinionem semel electam. Ita *P. Bard. discept. 4. cap. 14. & alii apud ipsam, quatenus in nullo casu admittunt, licitam esse talem mutationem opinionis. Probatur ex absurdo, quia si concurrentibus duabus prædictis conditionibus, esset licitum mutare opinionem, sequeretur, posse Clericum sine ulla causa licite officium divinum omittere quandiu viveret; sed hoc non est admittendum; ergo &c.*

N

Probatur